

religium ab Apostolis facta. Hortatur insuper ut qui pie curiosus esse uelit, ecclesias Apostolicas percurrat, in Achaia Corinthiensem, in Macedonia Philippensem, Ephesinam in Asia, Rhomanam in Italia. Recenset institutionem Rhomanae ecclesiae. Haereses de nostro fructificasse non nostras: Ad haec scripturas nunc manu, nunc sensu fuisse ab haereticis interuersas: cuius sensus diabolus sit autor, pessimus ille Christianae religionis amulus. Mox depingit uitam ac mores haereticorum. Postremo futuri nos admonet iudicij, in quo male audient a iusto iudice haeretici, frustra tamen se excusaturi. Ibi deum per Ironiam haereticis loquentem facit. Ex hoc libro facile liquebit lectori, qui non sit omnino stupidus, quo pacto Rhomanus Pontifex ad istam auctoritatem peruenerit, quam hodie habet. Caeterum quaequam honorifico laudis elogio Rhomanam exornat ecclesiam, non tamen tantam illam facit, quantam hodie fieri uidemus. nam Apostolicis ecclesijs illam annumerat, non solam facit Apostolicam, hoc est summam facit, non summam. Atque idem scribit quarto libro contra Marcionem, ijs uerbis, In summa si constat id uerius quod prius, id prius quod & ab initio, ab initio quod ab Apostolis, pariter utique constabit id esse ab Apostolis traditum, quod apud ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum. Videamus quod iac à Paulo Corinthij hauserint, ad quam regulam Galatae sint recorrecti, quid legant Philipenses, Thessalonicenses, Ephesij, quid etiam Rhomani de proximo sonent, quibus Euangelium & Petrus & Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt. Habemus & Iohannis alumnas ecclesias. Et caetera. Porro si superesset Tertullianus, non istud impune diceret. nam quas tragaedias, ob similem causam, cum haec adoraretur aeditio, uidimus excitatam? cum Germani negarent se quorundam expilationes diutius laturos & alias indignitates, quibus diu se pressos conquerebantur, per eos qui maiorum suorum simplicitate forent abusi. Illi uicissim gladios & fasciculos minarentur, qui potius debebat docere, & pugnare gladio spiritus quod est uerbum dei. Spes omnis in Christiana modestia, ac lenitate Euangelica.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI, DE
PRAESCRPTIONIBVS
HAERETICORVM,
LIBER.



Atque quantum sint,
fuisse.

Simile.

CONDITIO praesentium temporum etiam hanc ammonitionem prouocat nostram, non oportere nos mirari super haereses istas, siue quia sunt: futurae enim praenunciabant: siue quia fidem quorundam subuertunt: ad hoc enim sunt, ut fides habendo tentationem, haberet etiam probationem. Vane ergo & inconsiderate plerique hoc ipso scandalizant, quod tantum haereses ualeant, quantum sint: cum quod sortitum est omni modo sit, sicut causam accipit ob quam sit, sic uim consequitur per quam sit nec esse non possit. Febre denique inter caeteros mortiferos & cruciarios exitus erogando homini deputatam, neque quia est miramur: est enim: neque quia erogat hominem, ad hoc enim est. Proinde haereses ad languorem & interitum fidei productas si expauescimus hoc eas posse, prius est ut expauescamus hoc eas esse, quaedum